



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum
omnibus Christi fidelibus, tum potissimum Gratiarum Cœlestium,
lucrorumque æternorum avidibus, quà theoreticè, quà practicè
proponuntur

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066391

Stimulus 14. Conscientia elapsi temporis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45462

- DR. C. R.*
BILK. 2.
10. 18. 22. 26. 27.
- Psal. 72. 10.* de attestantem illam: quia non invenit opera tua plena coram Deo: quia dies pleni non inveniuntur in te. Habe ergo in mente qualiter acceperis, & au-
- Apoc. 3. 3.* dieris, & serva & age p&enitentiam. Si non vigi-
laveris, veniet (Dominus) ad te tanquam fur, &
- Isa. 1. 17.* nescies quãa horãa veniet ad te. Quiesce agere per-
versã, agere tepidã, agere cum nausea Domini:
Disce bene agere: diligenter, ferventer, accurate,
juxta Dei cor & gustum agere.

Stimulus XIV.

Conscientia elapsi temporis.

NEc elapsi tantum, verum etiam perditi: quid verò si etiam perdite elapsi? Parùm est enim plerisque nostrum, si perdamus tempus, nisi etiam perdamus nos ipsos cum tempore. Et tempus quidem perit, perditio autem manet, & cum perditio sit, tamen perditionem non subit. O tempus quãm es vile! quam tibi pretium nemo ponit! quam multi gaudent etiam te sibi periisse! quam nemo est, qui damna temporis non fecerit! quam nemo qui illa etiam ultrò non accersierit! quam multi implet præpostere illud A. postolimonitum: *Redimentes tempus!* Redimunt enim multi perditionem ejus, quia solvunt pretium pro perditione ejus, sumptibusque non parcunt, ut perdent illud; & agunt tam sumptuosè quam & studiosè ea, per quæ plurima est perditio illius. O Sapiens secundùm Deum: in hoc sapias ut redimas tempus: Etenim magna portio sapientiæ, magnum artificium est, scire uti, & ipsa uti recte tempore.

Durissimum Deus exercet judicium cum ho-
minibus, de transacto sibi dato tempore; Sicut
de vita nostra, ita & de tempore nostro ratio-
red-

reddenda est: commixta enim est tempori nostro nostra vita, adeò ut tempus nostrum, sit pñè ipsa nostra vita. Certè neque lucrum, neque damnum patimur temporis nisi simul & subeamus vitæ, cùm enim effluit tempus, eripit nobis simul & vitam. Et nos stulti, per jacturas temporis, arbitramur nos lucrari vitam. Sed Deus, eodem calculo computat nostrum tempus, & nostram vitam. perditum tempus & perditam vitam. Quidni, ergo si sapio, immò, quidni sapio tandem, & æstimo, & redimo, & lucror tempus, ut simul lucrer etiam vitam, antequam Deus accipiat & vocet adversum me tempus: & Psal. 74. 3. statuat illud contra me, audireque faciat queri- Thren. 1. 15. monias ejus de me, exposcentisque vindictam ex me: quia non in eo pretio, non in eo usu, non in ea observatione, non in ea dispensatione fuit apud me: qualem fuisse, & ipsa vita, & professio vitæ, & obligatio status, & propositus finis, & commoditas: obtinendi finis, & elapsio velocissima, simul ac incompensabilis ipsius temporis, exigebat à me. Ecce jam ipsi anni mei, ipsa conditio corporis, valetudinisque meæ, in horas atque momenta inclamant auribus meis.

*Tempus breve est. Tempus non erit ultra. Breves dies t. Cor. 7. 29.
hominis. Nunquid non paucitas dierum meorum finie- Apoc. 19. 9.
tur brevi? Ergo dum tempus habemus operemur bo- Job. 10. 20.
num, operemur bonum benè, operemur studio- Gal. 6. 10.
sè, copiosè, assiduè, infatigabiliter, insatiabili-
ter, incessanter, per hoc redimentes, per hoc
multiplicantes, per hoc fenebre, lucrosum,
pietiosum, superabundans facientes
nobis tempus.*